

DE REG. INSTITVT. ET

sunt pro libertate vota perpetuo facienda , sed pro illa libertate quæ mentis altitudine & virtutis im- munitate continetur: non pro illa quæ animū omni pudoris vinculo laxatum nefarijs flagitijs addicit. opes parandæ sunt, sed opes illæ quæ sint instrumēta virtutis: non quæ materiā effrenatæ libidini pre- beant , omnesque virtutis neruos elidant. Ne autē singula persequamur, hoc satis sit admonere, esse in pace diligentissimè prouidendum , ne falsis bonis illusi , in verissima mala furenter incidamus ; & dū vt beati sim' enitimus, miseriam sempiternā nobis ipsi comparemus. ergo cùm in pace multo grauiora mala sint, quæ possunt nos opprimere, nisi sapiēter illa multò ante declinauerimus : & cùm secun- dis rebus elatus & inflatus animus regi difficilimè possit, quis non videt quanto sit maius atque dif- ficiens Remp. opibus florentem, & otio lasciuien- tem frenare, & tanquam in rationis gyrum ducere, quām eam quæ est bellis vexata , & in periculis cō- stituta ? Hic igitur Princeps noster quem summa sapientia præditum , omnibusq; simul virtutibus ornatum & exultum esse volumus , efficere pote- rit vt nullum omnino malum ex bono pacis oria- tur : sed quod est multo magis naturæ cōsentaneū, ex pace fructus in omni genere salubres atque iu- cundi capiantur . nunquam enim committet, vt gubernacula negligenter tractet, cùm tranquillita- tem

tem à bellis externis esse perspexerit: sed tūc multo etiam diligentius laborabit & vigilabit, ne alia grauior tempestas Reip. nauē iactet, & ad cæcos scopulos allidat. non igitur Remp. curis omnino vacuam, & omni metu solutam esse patietur: sed eam armis instruet, & munitionibus firmabit, & ornamentis pacis excolet, & bonis artibus erudiet, in eoque omnem industriam consumet, vt eam virtutibus ornet, & reliquis bonis ita locupletet, vt nunquam illis ad dedecus, aut perniciem abuti queat. Cūm verò constet omne decus atque salutem in sapientia consistere, ea namque est quæ mentem veris opibus illustrat, & reliquis bonis scienter vti docet; operam certè dabit, vt Resp. sit etiam studio philosophiæ florentissima. Philosophia namque si bene constituta fuerit, non erit vñquam comes ignauiae: sed vigilantiæ magistra. non homines à studio publicæ salutis abducet: sed cupiditate publicæ salutis incendet. non superbiam, & insolentiam gignet: sed ad modestiam & verissimum decus incitat. nec enim hic de Sophistarum garrulitate, & ostentatione, neque de quorundam præstigijs qui falso nomine sapientiæ scelera infinita contegunt, orationem habemus. fatemur enim quo res clariores & ampliores sunt, eò cūm ad improbos deferuntur, maiorem pestem atque perniciem communibus rebus inferre. Quocirca mirum nō est, si multi homi-

DE REG. INSTITV T. ET

hōmīnes eruditī pestem rebus suis publicis attulerint. improbus enim homo quo fuerit disciplinis instructior: eō callidius (& vt sibi quidem videbitur) impunius in ciuium peste versabitur. sed quē admodum non ideo sunt arma bonis detrahenda, quōd improbi illis male vtuntur: imō ideo boni diligentius armandi sunt, cūm mali furentius arma tractant, vt furor armatus armata etiam virtute repellatur: sic etiam ne possint improbi homines disciplinarum armis, & eloquētiæ vi & magnitudine subnixi, exitium & vastitatem rebus præclaris inferre, sunt boni præclaris artibus, & eloquētia corroborandi; vt facilius possint impetum hominum perditissimorum reprimire. Atque haud scio an ob eam causam vtile rebus humanis fuisset legē ferri, qua non omni qui vellet liceret præclaris disciplinis operam dare: sed illis tantum qui essent acri ingenio, & animo magno, præclaraq; virtutis indole prædicti. vbi namq; in prima illa puerili institutio-
ne factum fuerit naturæ vniuscuiusque periculum, vellem neque tardum ingenium diutissimè in philosophiæ studio detineri, ne operam perdat: nec acutum si fuerit ad vitia propensum, artibus præclaris institui, ne studijs honestissimis ad flagitium atque scēlos abutatur. quod si hoc non facile præcaveri poterit, aut si etiam iij quos ingeniosos, & magnanimos, & bene à natura informatos esse pu-
taba.

tabamus , fuerint ad flagitia delapsi : non patietur sapiens Rex eos ullo modo Remp. capescere . imò quò fuerint magis eruditi , eò diligentius & acrius eos à Reip. gubernaculis reijsctet , & si opus etiā fuerit à regni finibus exterminabit ; & sic tandem fieri (ut iam diximus) vt neq; philosophi probi sint inutiles , neq; flagitosi pestiferi . probos enim secum coniunget , illorumque sapientia perfruetur : improbos autem ne nocere aliquo pacto possint , expellet & ejscet . Sed interim venit mihi in mētem unum restare argumentum , ex his quibus noster T. dicebat , à plerisque philosophiam exagitari , quòd nondum est dissolutum . Quod nam inquit . M. Hoc nempe quod dicunt , eo tempore quo Lusitani literas ignorabant , magna facinora in rebus bellicis effecisse : hoc autē tempore quo sunt apud nos per multi , adeò literis & omni genere doctrinę perpoliti , vt cū doctissimis nostræ ætatis hominibus comparetur , vix ea quæ sunt maiorū virtute parta retineri . unde concludebat , summā eruditōne esse cū Rerump. labe coniunctam . Primū quidem id falsum est ; quantū enim ex nostris annalibus coijcere licet , antiqui Lusitaniæ Reges , & Principes in illis temporibus parum cultis se cū literis oblectabāt , & historias & sapientiū hominū scripta legebāt , & sacris etiā literis multum vtebantur ; cuius quidē rei testis esse potest & corum yita , & mores , & sententiæ quibus eorū conciones

DE REG. INSTITVT. ET

ciones refertæ sunt. deinde non sunt hoc tempore nostræ res ita deploratae, vt non insideat in multorum animis spes, eas multo florentiores atque meliores futuras. Præterea vt id verum sit, non tamen ex eo efficitur, optimas disciplinas esse à principe Reipub. conténendas. in multis quidem Rebusp. hoc accidisse constat, vt tunc summa eruditio vigeret, cùm illarum exitium appropinquabat: sed non propterea statuendum est eruditionem summam, causam Rebuspub. calamitatis attulisse. imò si aliquod remedium ad auertendam calamitatem ex cogitari poterat, id totum erat in sapientiæ studio constitutum. longa enim pax, & summum otium, quemadmodum omnia mala fert quæ diximus: ita etiam tempus & materiam præbet, & instrumenta subministrat, quibus homines excellenti ingenio prædicti summam sapientiam adipiscantur. reliquis enim curis expediti, & otio abundantes omne illud tempus quod reliqui homines in libidine, flagitio, & scelere ponunt, in animorum cultu, & in naturæ peruestigatione, & in rerum diuinarum consideratione consumunt. Cùm verò ij qui otium ad perniciem Reip. conferunt sint innumerabiles, & illi potissimum qui plurimum in Repub possunt intemperantia & flagitio suo Reipub. pestem & exitium machinentur: qui verò sapientiæ student sint paucissimi, & ij non maximis opibus affluent; euenit

vt si.

vt simul cum sceleris amplificatioue quod Reipub. interitum affert , paucorum hominum sapientia (quæ quidē natura sua salutaris est) amplificetur. Quòd si idem sapientiæ studium quod in quibusdam hominibus insidet,in principibus Reipub. vnguisset:facile omnes Reipub. morbi pellerentur,& vulnera omnia sanarentur,& otium quod solet esse pestiferum, salutare omnibus existeret. nulla enim medicina adhiberi potest ad vitiosas Reipub. partes sanandas efficacior. Principis enim optimi sapientia , facillimè homines opibus & potentia florentes, ab ignauia & tutitudine ad virtutem & honestatem traduceret; vniuersamq; Remp. illecebris ipsius honestatis,in studium industriæ & frugalitatis incitaret. vestigia namque , & autoritatem , & imperium optimi & sapientissimi Principis omnes libenter & studiosè sectarentur. Cùm autem raro admodum accidere soleat, vt Princeps timore bellorum vacuus,& opibus summis abūdans, otium ad studium sapientiæ conferat: sed potius tota mēte omnes voluptates nefarias exquirat, contra fit, vt omnes sese tunc ad nequitiam applicent. quamuis enim omnes plerumq; principum imitatores existant, multo tamen facilius eorum flagitia quām virtutes imitantur, cùm verò id sāpē euenire videamus, vt qui maximis vitijs affines sunt, aut principes, aut principum asseclæ sint; tenues enim ho-

DE REG. INSTITV. ET

mines non ita facilè possunt propter inopiam magna moliri : sed ij qui plurimum opibus & potentia valent : euénit vt isti potentes homines aspernētur atq; respuāt totum illud quod est eorū libidini & impuritati contrarium. nihil autem est tam aduersarium eorum libidini quām veræ sapientiæ disciplina. Qui enim vere & ex animo sapientiam colunt, nec adulari, neque mentiri, neque potentium libidini seruire possunt. ea autem de causa fit vt neque potentes, neque vulgus hominum qui potētibus adulantur, aut eorum autoritatem imperite sequntur, ea studia quibus sapientia paratur probare queant : sed ea vituperent, & calumnientur; usque adeò vt malum quod est vitijs attribuendū, sapientiæ disciplinis attribuant. hoc enim perinde est, atque si cùm ciuitas périculosis morbis esset infecta, homines illorum morborum causam, neque summis vitæ delicijs, neq; immodicæ ciborum copiæ, neque libidinis intemperantię, neque vitijs infinitis ascriberent : sed medicinam tantum accusarent, tāquam per eam illa tanta morborum vis fuisset inuecta. quo quid fieri possèt amentius ? Est autem studium sapientiæ animi verissima medicina, quæ cùm semper valdè necessaria sit, tūm vel maxime cùm Resp. opibus & luxu circumfluit, & illis ipsis viræ commodis & oblectamentis, in quibus omnem felicitatem ponit, obruitur. sed quemadmodum

modū cùm corpus ita pestiferis morbis oppressum est, vt nulla pars illius aliquid roboris & sanitatis retineat, nulla medicina potest in sanitatē restituī: ita cùm vniuersa Resp. peste laborat, & mortiferis morbis impedita est, nullo modo paucorum sapiētia poterit in pristinam valetudinē reuocari. quòd si à principio philosophia fuisset à Rege & à principiis egregie culta, nunquam Resp. in tam pestiferos morbos incidisset; nec otium ad quod parandum atque fruendum omnia negotia conferuntur, tantas calamitates attulisset. Non est igitur in his studijs calamitatis causa: sed calamitatis vnicum remedium collocandum. si enim Rex diuino quodā beneficio his studijs deditus, non solum vitæ præceptis sanctissimis abundauerit, ad Rép. sapientius atque felicius administrandam: sed etiam multos maximo ingenio præditos acriter inflammauerit, quorū præsidio septus multo facilius Rép. moderetur; tūm demū exploratè cognosci poterit, bonarū artiū disciplinis minimè labefactari Remp. sed firmari potius, & valido præsidio cōmuniri. Rex igitur hic noster (vt in ppositū redeamus) nō patietur ullo modo in pace Rép. desidia corrūpi, diuturnoq; otio intabescere: neq; cōmittet, vt pax & trāquillitas maius malū afferat hominibus, q̄ illud ipsum cuius auertendi gratia belli tēpore supplices ad omnia altaria preces cum lacrymis adhibebant. ergo

DE REG. INSTITVT. ET

quemadmodum nec agricolæ , neque mercatores,
neque fabri, nec opifices , neq; operarij munera sua
tempore pacis omittunt : ita neque milites , neque
duces , neque imperatores arma deponent , neque
Reipub. custodes atq; moderatores munus & offi-
cium suum dñferent : nec illi quidem qui artes eas
colunt, quæ voluptatis honestæ gratia vtiliter in-
uentæ sunt (est enim corpori necessarium laboris
aleuamentum , ita tamen vt sit semper cum hone-
state coniunctum) sese ab artibus suis remuebūt.
pictores igitur , & cantores, atque poëtæ , qui non
artificio suo effigiem turpidinis & impunitatis
expresserint: sed omnia suarum artium oblectamé-
ta ad honestatem contulerint, hi namque soli volu-
ptatum artifices in Rep. retinendi sunt, qui ad ho-
nestatem alliciunt , artes suas fauore & benignitate
Principis inuitati conseruabunt ; reliqui omnes si-
militer sub bono principe se in illis artibus exerce-
bunt, ad quas præcipue nati sunt , & in quas pluri-
mum operę & studij contulerunt, & ex quibus fru-
ctus aliquis vel vtilitatis iustissimæ , vel voluptatis
honestissimæ percipi potest . nullus denique erit
in Repub. cuius aliquid opus non extet , quod in
communem fructum conferatur . nihil enim erit
apud illos otio & ignauia turpius , nihil magis ab
omni Repub. detestandum . vt enim Vergilij ver-
sibus luculentissimis vtar.

Qualis apes ēstate noua per florea rura
 Exercet sub sole labor, cūm gentis adultos,
 Educunt fœtus, aut cūm liquentia mella
 Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Aut onera accipiunt venientū, aut agmine facto

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent,
 sic omnes ciues certatim elaborare debét, vt quisq;
 pro parte sua Remp. iuuet, & tam vim externam
 quām fraudem intestinam repellat : ne quicquam
 sit impedimento quominus Resp. felix atque flo-
 rents sit. Sequitur deinde.

Feruet opus redolentq; thymo fragrantia mella.
 iuuat carminibus poëtæ maximi atque valdè poli-
 tici & sapiétis vti , quibus apum similitudine ponit
 nobis ante oculos, illam sedulitatem & industriam
 ciuium , qua quisque quantum natura & artificio
 poterat, tantum in illā urbem conferebat : sic igitur
 in regno necesse est, vt totius patriæ opulentia atq;
 felicitas omnium ciuium operibus, & studijs, & ar-
 tibus , & officijs expleatur & quilibet aliquid in
 cōmunem vtilitatem cōferat; vt sic tandem pellatur
 ignavia, exulet iniqüitas, & iniuria, nulla vis, nulla
 fraus honestū otīū perturbet, inopia quæ desidiam
 consequi solet exterm inetur , & oēs ciues sint inter
 se æquabili iure deuincti, sœdere firmo cōsociati, &
 mutuis opib' vltro citroq; benigne collatis in om-
 ni rerū varietate muniti, & ciuili caritate & benevo-

DE REG. INSTITVT. ET

lentia coniuncti. Hac igitur ratione & vigilantia
Rex sapiens in pace Remp. conseruabit; ita ut non
possit otio corrupti & de statu dignitatis am-
plissimo detorqueri. huius autem ciuilis societatis,
& summæ felicitatis, & otij non inertis: sed hone-
stissimi maximeq; expertendi Rex artifex, & mode-
rator, & dux & architectus est. hoc est enim illi
opus propositum; hoc illi onus incubit; hoc illius
officii & munus est; hoc intueri, hoc moliri & effi-
cere debet, vt Resp. sit voluntate cōsentiens, ordi-
ne constans, viribus firma, opibus abundans, mo-
tibus ornata, gloria præcellens, in bello semper in-
uicta, in pace & otio moderata. Hoc autem ut præ-
stare possit, summa alacritate, studio, vigilantia,
industria opus est; neque enim tantum munus po-
test sine perfidiæ scelere, non dico negligi omnino:
sed parum strenue, aut parum diligenter obiri, si
enim iudices pecunia corrupti ius & fas omne vio-
lauerint: si milites exercitū deseruerint: si duces in
administrando bello timiditatis, aut desidiæ signi-
ficationem dederint: si consiliarij vt rei suæ familia-
ri consulant, Rempub. consilio scelerato prodide-
rint: si religio denique à sacerdotibus parum caste
atque sancte culta fuerit: si denique propter publi-
cum aliquod scelus Resp. vel fame vel pestilentia
laborauerit: vel afflcta pestiferis bellis extiterit,
omnium horum malorum culpa Regii necessario
susti-

sustinenda est. officium enim illius est præcauere ne quisquam in officio suo delinquit ; & ita rebus animum intendere ne scelus vllum confletur , vel saltem ne impunitum remaneat , aut virtus hono-
ris repulsam patiatur . Considerate igitur quām non solum constans , & fortis, & sapiens : sed etiam vigilans, & attentus, & industrius Rex sit oporteat , qui hoc in se recepit vt Remp. suæ fidei & diligen-
tiæ commissam in column ab omni clade conser-
uet; & opulētam, & fortē, & honestam , & omnibus corporis & animi bonis affluentem efficiat. fieri igitur non poterit, quin si Respub. malum aliquod graue subierit , Rex ipse perfidiæ infamiam sem-
piternam subeat. Hic. M. rectè inquit. sed vereor ne difficile sit Regi persuadere , vt vitam curis an-
xiām, & laboribus exercitam, & eruminis afflictam agat : vt reliqui omnes curis vacui , & solicitudine liberi, in tranquillitate versentur (hoc est) vt ipse solus miser sit , vt omnes qui sub illius imperio sunt , beati esse possint. Quid ? inquam. tu miserum putas Regem esse qui suum officiū facit ? Mi-
serum certè inquit illum multi putabunt , si tam multis curis fuerit distentus. quomodo enim pote-
rit tam multa negotia, quām multa ad illū oratione tua detulisti , quamvis sit admirabili industria su-
stinere ? difficile profectò est inquietes. Sit inquam quantum yelis difficile . cùm enim nihil sit præ-

DE REG. INSTITVT. ET

clarum & amplum, quod arduum & laboribus plenum non sit, regisque splendore & magnificentia nihil sit in vita clarius & amplius: consequens est ut munus & officium Regis sit maximis laboribus atque difficultatibus implicatum. qui tamen amplitudinem tantae dignitatis intuetur, omnem laborem tolerabilem iudicabit. quod si aliquis princeps tam pusillo animo est, ut laborem extimescat, regni procuratione qua quidem est indignus abijciat. tantum enim munus non nisi maximis & acerrimis animis & cupiditate immortalitatis incensis committi recte potest, qui praevissimae dignitatis studio vltro etiam labores appetant, & omnia pericula vitae contemnent. Præterea non est tanta gerendi huius muneris difficultas, quanta specie prima videtur; ordine enim Reip. constituto, & singulis muneribus commode distributis, & ea moderatione quam Reip. ratio possit adhibita, ea etiam quae difficilima fore videatur, non difficilime transiguntur. ut enim in horis postquam illa rotarum conexio, & implicatio, & pondorum inequalium pro rata portione contentio, & omnis denique illa machinatio fuerit solertissime constituta, facillimum erit totum illud horologium moderari; & quoties ab instituta ratione discrepare videbitur, ad numerum & aequalitatem reducere: sic postquam Reip. ratio sapienter instituta est, & temperamentum recti ordinis & moderationis adhibitum, &

munera sapientissimè distributa : non tam difficile est , quàm multi fortasse suspicantur , totam Reip. machinam, eodem semper ordine conuerti; & cùm aliqua ex parte ab instituta moderatione defecerit , prudentis rectoris vigilantia ad numerū reuocari. atque vt maximi cuiusdam exercitus imperator milites facile moderari poterit, si exercitum in cohortes , & manipulos , & in certa vexilla diuiserit, & singulis ordinib' præfectos singulos militiæ peritos assignauerit , vt facilè imperium illius per maiores duces ad minores , atque ad singulos tandem milites ordine percurrat: sic in Rep. diuisis ordinibus , & generibus hominū ad certas curias aut tribus reuocatis, & rectoribus militum delectis , & iudicium etiam ordinibus diligentissimè constitutis , & legibus etiam quæ singuli muneribus suis obeundis sequantur impositis, non erit ita difficile vniuersam Rempub. in officio continere. Præterea illud etiam considerandum est, esse non paucos homines virtute & sapientia præstātes , in tanti operis atque munetis societatem conuocandos, vt facilius perfici possit, & cum amplitudine dignitatis & communis vtilitatis expediri. Est etiam animaduertendum difficile non esse quod cum voluptate fit; Regis autem officium esse cum summa voluptate cōiunctum intelligi rectè poterit, si voluptatis constantis & firmæ ratio fuerit explicata . Pci num

igitur voluptas non est in otio posita. si snim ita es-
set , nihil esset in vita cessatione iucundius . itaque
omnes natura duce sine vlla ratione hoc vnum ma-
xime expetendum iudicarent nempe nihil agere,
nihil moliri , nunquam à loco in locum moueri:
sed instar ænæc cuiusdam statuæ in eadem semper
sede immobilem permanere. quòd non ita est,imò
constat nihil esse in vita molestius, quàm nihil age-
re omnino. itaque bruta animantia motus liberos
requirunt , & si alligata fuerint vincula si possunt
perrumpunt , vt libere cursitent . pueri teneri non
possunt quin cursu, & saltu, & motibus assiduis de-
fatigentur . adolescentes etiam ludis admodum la-
boriosis & certaminibus oblectantur. homines etiā
ætate grandiores , atque adeò senes qui se vix loco
mouere possunt , aliquid tamen semper agere stu-
dent, vt otij fastidium & iniucunditatem vitent,in-
tolerandamque cessationis molestiam à se dimo-
ueant . Vnde concluditur naturæ iucunditatem nō
esse in otio : sed in labore collocandam. tunc enim
voluptas existit , cùm antegressa est cupiditas ; vo-
luptate enim afficimur , quoties id quod valdè ex-
petebamus assequimur . non autem otium atque
somnum sempiternum : sed sempiternam actionis
& agitationis iucunditatem expetimus . vnde con-
cluditur voluptatem in actione cōsistere. Est enim
voluptas perfecta yis & efficētia sensus, id quod est

ad naturam illius accommodatum absolute consecuti. hoc ita posito considerandum est, cum animo constemus & corpore, duplicem voluptatem in nobis esse: unam quam sensibus corporis usurpamus: alteram quam metis & rationis sensu percipimus. videndum est igitur nunc, quae nam voluptas nobis magis expetenda sit, ut vitam iucundissime traducamus. ea neque quae corpus titillat, atque iucunditate perfundit? an potius ea quae mentem gaudio compleat? Primum quidem voluptas corporis pura & liquida esse non potest. est enim semper cum aliqua molestia & acerbitate coniuncta; tamdiu enim in bibendo voluptatem sentimus, quandiu nos sitis vexat; extincta vero siti, bibendi etiam voluptas extinguitur. sic etiam de epularum suavitate, & de reliquis eiusmodi voluptatibus dici potest; eas omnes desiderij breuis & minimè constantis expletione contineri: ita ut magis molestiarum despulsiones, quam voluptates appelladæ sint. idcirco fit, ut voluptas corporis sit fluxa & instabilis, & momento temporis euanscat; deinde cum effluxerit, eam satietas atque fastidium consequatur. quo autem maiores voluptates sunt, eorum maiora illa fastidia consequuntur. sic autem sit ut futilem & inanem voluptatem, molestia saepe grauis atque diurna contaminet. Præterea voluptates istæ mentem & rationem eripiunt, & animi totius statum labefactant;

& quod

DE REG. INSTITV. ET

& quod est consequens insigne dedecus iurunt, ex quo fit, ut cum euanuerint, grauissimam pœnitendi causam relinquant. cum enim simus natura maximè honestatis appetentes, necesse profecto est, ut recordatione turpitudinis atq; dedecoris afflitemur. quæ igitur hæc voluptas est, quæ nunquā est à molestia seiuncta? quæ priusquā dulcedo illius sentiri posset euanuit? quæ graues molestias atque diurnas inuehit? quæ hominis præstantiam de decore omni cōtaminat? de immoderata voluptate loquor, nō de illa quam modus, & ratio, & leges, & iura præfiniunt. Itaq; hoc sanè constat homines qui corpori nimis addicti sunt, fallacissima voluptate delusos pœnis assiduis excruciali. quid illud quantum mali est? quod flagitiosæ voluptatis cōfuetudo homines brutis animantibus simillimos reddit, & ferinī motib⁹ turpiter obsequētes. quod sine graui animi angore & cruciatu fieri nequit. mēs enim de statu detrusa, & cupiditatis vinculis impedita, cum natura ad decus & laudē aspiret, & cōtra naturā de decori & ignominiae seruiat, fieri profecto nō potest, quin acerbissime torqueatur. quo autē magis est cupiditatib⁹ impurissimis addicta, eò grauiores pœnas amētiæ persoluit. Quod vt facilius intelligi possit, fingamus animis principē maximū prestigijs illusū, & spōte sua de folio deiectū, vt hōib⁹ nequissimis obsequatur. illi verò adulatores intēperantissimi tā
boup 33
impu-

impudentes sint, ut mediocri atque tolerabili Principiis amētissimi seruitute contenti esse non queāt: eoque tandem rem deducant, ut illi quem iam impotenti dominatu oppressum tenent, plagas etiam imponere, si illis ad nutum præsto non fuerit, minime vereantur. sint autem morosi, atque difficiles, & inter se sensu atque sententia discrepantes. unus autem ex illis sit amore leuissimo perditus, aliis auaritia immanni flagret: populari vento atque tempestate iactetur: aliis denique alijs cupiditatibus nefarijs stimulatus sit. cuiuslibet autem cupiditas sit immensa & infinita: ita ut satiari non possit. Ille igitur miser olim princeps, modo seruus, sub improbissimorum mancipiorum insolentia & libidine constitutus; quo tandem modo omnibus servire poterit, cūm ne vnius quidem libidinem explere aliquo pacto queat? fac igitur ut eodē simul tempore aliud aliud imperet, & quilibet eorū illum minis exterreat, & plagas eidem ctiā infligat: si vni domino paret, alterum lædit: si vnius iram placat, alium offendit. qui offensus est repente sine vlla misericordia membra illius miseri contundit, atq; fuste debilitat. sic autem dum aliud aliud obiectat, & illum acerbissimē criminatur, necesse est illum in contrarias partes distrahi, atque dilacerari. Hanc porro similitudinem ad animum transferamus, in quo quidem ratio principatum obtinet. illa tamen lique-

DE REG. INSTITVT. ET

liquefacta blanditijs, & adulazione cupiditatis impulsa, & vehementia libidinis incitata, eo paulatim redigitur, vt seruiat auaritiæ, libidini, atque leuitati, omnemq; beatæ vitæ rationem in harum pestium dominatu constituat. quælibet autem harum cupiditas estimmoderata, nec ullis terminis circumscribi potest. vbi enim primū ratio de statu suo demigrat, nihil relinquitur in animo, quod temeritatem coërceat. sic autē fit, vt cùm multo plura semper appetat libido quā adipisci queat, multis partibus superet ille cruciatus animi lætitiam illam, qua interdum intemperantes homines efferuntur. cùm enim (verbi gratia) pecuniam infinite cōcupiscat, quamuis multis pecunijs abundant, magis tamen illos cruciat argentum quod non habent, quam delectet id quod habent; & ita necessario fit, vt gaudium sit exiguum, idq; cum sollicitudine & afflictione coniunctum, cruciatus autē sit assiduus & immensus. Sic etiam de libidinis intemperantia, de immoderata honorū ambitione dicendum; fieri non posse vt tantam lætitiam afferat animis rei furentius appetitæ præsentia, quantam mœstitiam inuehit maiorum commodorum (vt videtur) atq; voluptatum quę nimis sitienter appetuntur absentia. inde verò grauis offendio, odium, anxietas, & iracundia, & aliæ eiusmodi perturbationes oriuntur; quæ animum in diuersas partes trahūt, eumq; omni

omni crudelitate dilacerant. aliud enim cogit libido, aliò impellit auaritia, aliud hortatur ambitio, aliud iracundia facere admonet. si libidini & luxuriae seruit, sumptus ingentes facit, & eorum deinde recordatione torquetur: si obsequitur auaritiæ, Veneris etiam immanitate & impatientia cruciatur: si popularem auram captat, ambitione distractus oes rumusculos extimescit, atque ad aliorū dominorū impotentiam, feritatem etiam plebis adiungit: & adulati populo atque assentari condiscit. Hac igitur ratione animus de statu deiectus, & auaritiæ atque multiplicis cupiditatis imperio coactus, anci- piti cura & solicitudine distinetur; & tabe pestifera, & intolerabili cruciatu cōficitur. quamuis autē nō aliis doloris sensus animū pungeret, atq; vulneraret; turpitudinis certè conscientia illum ita vehe- mēter affigeret, vt esset illi necesse in perpetua acerbitate verlari. cùm enim insita naturæ cupiditate in studium honestatis incitemur, & ad verissimum decus & laudem natissimus; necessario fit, quoties in nos flagitium admittimus, aut falsa imagine dignitatis illudimur, vt nos impuritatis & amentiæ pœniteat, & graues erroris nostri pœnas exoluamus. cùm igitur animus corporis voluptatem se- quitur, quamuis interdum cupiditate cæcus exultet, immoderataque lætitia deliciat: multo tamen maiore ex parte dolore atque mœstitia cōficitur.

bre-

DE REG. INSTITVT. ET

breuiissimam enim illam voluptatem tristes curæ atque solicitudines antecedunt; & cùm adesse videtur non sine molestiæ cuiusdam admistione percipitur; & cùm effluxerit nō mediocrem dolorem propter admissum dedecus inurit. Hæc est hominum vita qui non rationem, sed cupiditatem indomitam sequntur. qui tamē quandiu rei familiaris angustia laborant, & legibus alligantur atque iudiciorum metu continentur, morbis quidem illi non mediocribus vexantur, & curis grauissimis afficiuntur, quę vitam satis acerbam & erūnosam efficiunt: eorum tamen ægritudines mediocres atque tolerabiles esse videbuntur, si cum alijs multo grauioribus collatæ fuerint. vbi enim primū augmentur opes, dinitiæ redundant, & spes maioris licentiæ & impunitatis offertur: animus ipse dominatu cupiditatis oppressus, ad spem felioris conditionis erigitur. existimat enim se posse facillimè cupiditatem satiare, & ita maxima quadam voluptate, & perpetua suavitate cōpleri. Quod longe secus evenit. opibus enim summis & spe impunitæ libertatis & licentiæ proposita, multo vehementius irritatur ipsa cupiditas, maioresque turbas commouet, & multo violentius in statum mentis inuadit, maioreque siti & indigentia cruciat. tunc igitur cū nullis voluptatibus, aut opibus infinita illius sitis extingui possit, crudelius rationem accipit, & lōge acerbio-

acerbioribus curis illam vexat. Quid verò cùm cupiditas ipsa ad hominum contumeliam erumpit, multosque mortales iniurijs innumerabilibus afficit? quid cùm iura omnia perrumpit, ciuilemque societatem violat? quid cùm in legum contemptu, & intolerabili superbia, & insolentia, summam vitę dignitatem constituit? quid cùm omnibus hominibus fortibus atque moderatis interitum machinatur? omnia enim hæc mala cupiditatis effrenatae licentiam consequuntur. excæcat enim rationem ita ut in superbia grauitatem, in luxuria magnificen-
tiam, in fastidio & cōtemptu dignitatem summam inesse iudicet. Inuidia deinde & odium animum illum miris modis exagitatijs enim quos videt verissima dignitate præditos inuidet: eos autem quos suis nefarijs cupiditatibus aduersarios fore suspicatur, odio acerbo & immani persequitur. quemadmodum igitur leges & instituta cōuellit: ita omnes quos legum vindices & custodes esse credit, de medio tollere contendit. omnem virtutis excellētiā suspectam habet & inuisam; & quidquid illorum intemperantiæ resistere potest, execratur. cùmprium igitur potest alios interimit, alios exilio mulctat: alios opibus & fortunis spoliat, ne quisquam illi obuiam ire possit. nullum ingenium excellens, nullum animum magnum, nullum singularem industriam, nullius denique insignem potētiā pati

O

atque

atque tolerare potest. alijs enim inuidet, alios verò timet, status verò sui firmitatem non in suæ virtutis constantia, nec in suorum caritate & benevolentia: sed in suorum ciuium imbecillitate ponendam arbitratur. Omne igitur illius studium in ciuiū opibus extenuandis, & animis abiciendis, & in virtute profliganda & extinguenda consumitur. iniurijs igitur, & contumelijs, & cædibus odium hominum in se grauissimum accedit. inde verò metus ingēs exoritur; qui multos enim læsit multos metuat necesse est: & quo plures sunt quos iniurijs affecit, eò grauior illum metus excruciet. Hæc est autem Tyranni vita qua nihil nec acerbius, neque magis anxium atqué sollicitū mente fingi atque cogitatione potest. omnis autem qui natura maleficus & iniustus est, quales sunt omnes qui tota mente cupiditatibus nefarijs obsequuntur, tyranni quidem natura sunt: sed id minus appareat, quādiu non valde noce-re possunt. postquam verò summas opes adipiscuntur, tum demum tyranni appellantur, qui tunc eò miseriiores sunt, quo maiores opes habent. grauiora namque facinora moliuntur, & quo pluribus imperant, eò pluribus hostibus circumsepti sunt. omnes enim natura tyrannidē oderunt. Accedit ad maiorem animi sollicitudinem & cruciatū numinis diuini metus. quamuis enim tyrāni religionē contemnant, nō possunt tamen omnino illū religionis sensum

sensum quo sunt à natura penitus imbuti, diuturna
cōsuetudine sceleris & impietatis opprimere. sem-
per igitur residebit in illorum animis aliqua reli-
gionis opinio, quæ illos agitet, exterreat, exanimet,
respirare non sinat. ergo quocunque se tyrannus
mente & cogitatione contulerit, omnia sibi dira,
exitiosa, & infesta esse perspiciet. si enim mentem
suam inspicit, animi sui statum videt seditione tur-
bulenta conuulsum, pestiferis morbis oppressum,
tristissimis curis afflictum, acerbissimis dolori-
bus interclusum: si ad homines oculos conuertit,
alijs inuidet, alios odit, nemini fidei habet; &
omnes etiam familiares atque domesticos exti-
mescit: si cœlum suspicit, & tempestatem excita-
ri videt; horret, & palleter, & tremit, & eximio pa-
uore concutitur. Diuinitatem sibi tribuebat Ca-
ligula: sed deus ille minimo etiam fulgere & to-
nitru conturbatus, se confessim obuoluto capite
subiectum occultabat. tanta erat hominis stu-
tissimè arrogantis imbecillitas. & reuera nihil est
magis cum arrogantia coniunctum, quam me-
tus, & solicitude, & animi fœda atque deformis
abiectione. Qui igitur status sui odio torquetur; qui
maleficiarū conscientia assiduè cruciatur; qui om-
nes mortales exhorret; & à suis etiam intimis atque
domesticis infidias vitæ suæ fieiri suspicatur; qui
quoties cœlum nubibus obductum cernit, totis

DE REG. INSTITV. ET

artibus contremiscit ; qui denique neque domi ,
neque foris, nec in otio, nec in negotio , neque cum
suis, neque cū alienis tranquillo animo esse potest :
quomodo non omnium mortaliū miserrimus
ridicandus iucundus est : ne somnus quidem qui curarū om-
nium videtur esse perfugium , illi curarum aliquod
alleuamentum concedit : species enim illi horribi-
les in somnis obijciuntur, quæ illum frequenter ex-
turbant. Hæc sunt illæ Furæ scelerum vtrices quæ
Tyrannos agitant & insectantur , quæ quasi tædis
ardentibus illos quocunque se vertunt insequuntur:
illosq; & scelerum recordatione perterrent, & iudi-
ciorum diuinorum metu conficiunt. non expecto
diros tyrannorum exitus: non interitum calamito-
sum commemoro : non ea quæ etiam cum in tra-
gœdijs aguntur spectatoribus horrorem incutiunt,
oratione complector. hæc omnia imperitos mouēt,
qui id tantum quod sensibus expositum est aspi-
ciunt ; tabem autem , angorem , & cruciatum quo
tyrannorum animi torquétur, intueri non possunt.
sit igitur aliquis tyrannus qui vitam ad summam
senectutem perducat (vt superior Dionysius) nec
ulla humana calamitate pervertatur : is tamen fu-
rijs agitatur, & cruciatibus infinitis afficitur , & à
mente consilioque deducitur , & tristissimis curis
intabescit : ita vt nihil miserius & calamitosius in
vita fingi cogitatione possit. Vt igitur tyrannus in-
terdum

terdum inani aliqua voluptate fruatur , aut ut rectius dicam inani voluptatis specie ludificetur, maxima tamen ex parte vita illius est acerba, luctuosa, grauissimis curis anxia , & terroribus obiectis frequenter exercita: ita ut nunquam ullo in loco consistere, aut liberè respirare queat. Recte inquit . T. sed quorsum pertinet ista disputatio de tyranni cruciatu ad Regii muneric facilitatē, & oblectamentum? An vos inquam putatis me alia ratione facilius demonstrare posse , quam facilis & iucunda sit Regis vita, quam tyranni supplicio vobis explicato, & ob oculos constituto ? nihil enim quod Regi magis oppositum sit, quam tyrannus. ergo ut tyranni vita est difficilis, acerba, & erumnosa, omnibusq; malis miserime circumuenta: ita Regis vita dulcis, & iucunda sit necesse est , omnibusque bonis referta & egregie cumulata. Primum igitur si voluptas ut dicebamus non est in cessatione posita, ad agendum enim natum sumus, ita ut nihil esse possit otio atq; cessatione molestius : consequens est, ut voluptatem in actione collocemus . est ergo voluptas (ut ante dictū est) perfectus motus & actio sensus cuiuslibet, qua sensus ipse id quod est naturae cōgruens & aptū repētē cōsequitur. hoc autem posito quis dubitare potest quin voluptas una tantis partibus aliam voluptatē supereret, quātis unus sensus est alio sensu natura præstantior, & iudicio acrior, & stabilitate constantior?

DE REG. INSTITVT. ET

sensus autem h̄c omnes sentiendi & intelligendi facultates appellamus: ita vt alij sint sensus in corpore, alij in animo constituendi. rationi igitur consentaneum est, vt quantum animus pr̄estat corpori, tantum voluptas quæ animi sensu & agitatione percipitur, vincat illam quæ corporis sensu & iudicio continetur. Deinde corpus non per se quid dulce, quid acerbum, quid iucundum, quid asperum sit iudicat; animus enim est qui sentit, qui iudicat, qui aliud quidem vt iucundum & naturæ consentaneum asciscit: aliud vt acerbum & naturæ contrarium repellit. corpus enim exanimum, aut somno graui consopitum, aut stupore penitus oppressum sentire non potest. sed aliis est animi sensus cùm iudicat ipse per se, aliis cùm in iudicando opera & functione corporis vtitur. est enim animus ipse natura vigens, & vehemēs, & acer, & ad veritatem indagandam & percipiendam paratissimus. hebescit tamen, & obtunditur, cùm corpori nimis affixus est. hinc autem fit, vt quod ipse per se, sine functione vlla corporis suaue iudicat, suaue putandum sit; non illud quod interdum corporis imaginibus illusus, suaue atque iucundum opinatur. Pr̄terea constat vbi sensus morbo aliquo tenetur, quid dulce aut amarum sit iudicare non posse. videmus enim eos qui in morbo sunt cibos s̄epe dulcissimos, tanquam amaros aspernari atque

atque reijcere . animus autem corpori nimis indulgens æger est , & ex ipsius corporis natura mortal is & imbecilli cōtagione morbū cōtrahit ; quo quidē oppressus veræ suavitatis gustum non habet. inde adeò fit, vt pro iucundissimis ea frequēter arripiat, quæ sunt acerbissima . vnde sequitur id tantū dulce, & iucūdum, & omni suavitate refertum esse, quod animus sanus, & integer, & purus iucundū esse statuit: nō id quod corpori immersus, & morbis molestissimis impeditus iucundum arbitratur. Quid de voluptatis stabilitate & constantia dicendum ? omnes quidem sumus ad veritatem nati , & mendacium atque vanitatem natura repudiamus atque rejicimus . cùm igitur opinionis errore in fraudem impellimur , experiundoque sentimus quam falsa erant illa bona, quæ tanquam vera sectabamur : grauiorem multo dolorem ex nostri erroris offensione percipimus , quām erat illa falsa voluptas qua gestiebamus . itaque breuem & exiguam voluptatem ingens molestia , & mœstitia diurna consequitur . nihil est enim stabile ad permanendum, nisi quod radice veritatis innititur. Cùm igitur constet eam solum esse veram voluptatem quā animus purus , & integer, & firma valetudine præditus , voluptatem esse iudicat ; sequitur vt ea sola voluptas stabilis & fixa sit. at omnes qui hoc animo sunt sentiunt , & decernunt nihil esse virtute

O. 4 dulcius;

DE REG. INSTITVT. ET

dulcius, vnde concluditur omnem verissimæ & cōstantissimæ voluptatis rationem esse in virtute ponendam. ergo cūm voluptas illa quæ non corpore: sed animo percipitur , sit vel propter naturæ præstantiam clarior: vel propter acerrimum mentis sanæ iudicium verior : vel propter sententiæ firmitatem constantior , quis non videt nihil esse virtute iucundius ? ea enim est quæ animum pura , & liquida , & stabili atque sempiterna voluptate complet. Deinde liquet omnem voluptatem ex amore ortum habere . tunc enim voluptate summa affici-
mūr,cūm ea re quæ nobis erat egregie cara perfrui-
mūr . omnis autem amor opinione pulchritudinis
& honestatis excitatur. vera autem honestas & pul-
chritudo in virtute consistit. vnde sequitur vt quē-
admodum nihil est virtute pulchrius , neque ama-
bilius: ita nihil possit in vita cogitari suauius. con-
cludi potest igitur, illius tantum vitam esse dulcem,
& iucundam , & omni voluptate cumulatam qui
virtutis compos est: verissimam enim honestatem
arctè complectitur. Quid enim rerum diuinarum
consideratione præstantius ? quid humanarum cu-
ratione & prouidentia ad laudem præclarior? quid
animi alti & excelsi robore magnificentius ? quid
moderatione, frugalitate, temperantia concinnius?
quid iustitia, liberalitate, hominū caritate, & bene-
uolentia pulchrius? quid harum omnium virtutum
consen-

consentione venustius & elegantius? est nè aliquid
in vita quod maiorem sui admirationem commo-
ueat, aut vehementius ad sui amorem omniū mor-
taliū animos alliciat? si igitur nihil esse potest am-
abile quod iucundū non sit, & virtute nihil est ama-
bilius: sequitur vt nihil esse possit in vita iucundius.
Is igitur qui omni virtute ornatus est iucundissimè
viuit, & in summa quadā voluptate versatur. nihil
inest enim in illius animo quod pacem turbet, &
tumultus excitet, & statum labefactet. ratio enim
imperium pro dignitate gerit; motus animorum
comprimit; cupiditates moderatur; omnesq; partes
animi sibi parere & obedire compellit. regnum igi-
tur animi sapienter atque feliciter administrat; &
pacem, & tranquillitatem, & otium cum dignitate
constituit. ex illa igitur pace summorum bonorum
affluentia, & sempiternę opes existent; quibus exhi-
laratus animus gaudio perpetuo triūphabit. Homo
igitur tantis opibus, & ornamētis, atq; præsidijs in
omni genere redundans, Rex quidā valde sapiens
existimandus est; cùm tam sapienter & cōmode oēs
suas affectiones regat, ita vt nunquā seruiat libidini
& impuritati: sed semper omnes inconsideratos mo-
tus, & libidinis impetus summa quadā ratione co-
ērceat. cùm verò oēs opes animi ad vsum cōmunis
vitæ cōtulerit, meritisq; suis multos mortales obli-
gauerit: admirabilē sui amorē cōcitat, statūq; suū

DE REG. INSTITV. ET

multorum hominum benevolentia & fidelitate cōmuniēt. neque tamen is erit vñquam qui omnia
vitæ præsidia in se, aut in hominum fide ponat: sed
omnes opes & facultates suas, ad fontem omnium
bonorum assiduè reuocabit. Deum igitur alta mēte
suspiciet: illius maiestatem, & numem, & poten-
tiam reuerebitur: illius sapiētiam, & moderationē,
& iudicium admirabitur: illius bonitatem, & bene-
ficientiam, & amorem in humanum genus amabit:
illiusque beneficijs ornatus, diuinarumq; deliciarū
vbertate completus exultabit, & incredibili lētitia
perfruetur. necesse nāq; est, vt qui diuinis atq; sem-
piternis bonis afficitur, diuino etiam atq; sempiter-
no gaudio cumuletur; & si voluptas est perfecta na-
turæ sentiētis vis & efficientia, id quod est sibi acō-
modatum aſſecuta. Et cùm nihil sit in nobis mētis
natura prēstantius (est enim ad mentē diuinā apta,
& cū ipso Deo agnatione (vt ita dicā coniūcta) nulla
certè voluptas erit, cū ea cōparanda quam humana
mens percipit, cùm similitudinē diuinæ mentis af-
sequitur, & virtutis imitatione diuinū statum adi-
piscitur. nihil enim est in rebus humanis clemētia,
& benignitate, & hominum caritate diuinius. qui
igitur quātum potest hominibus opibus, & studio,
& gratia consulit: est iam quodammodo diuinitatē
aſſecutus. animus igitur humanus cùm ad Dei si-
militudinem quam natura vehementer expetit,

Dei

Dei ipsius munere & beneficio peruerterit, quanta suauitate complebitur? quantis gaudijs efferetur? quām incredibilem lētitiam ex tātorum bonorum recordatione percipiet? eam certè quām nemo vel vbertate orationis explicare, vel ingenio & ratione cōplecti valeat. quo autē plures homines sunt diui- ni hominis consilio atq; benignitate seruati, eò ma-^{numinis} iorem voluptatem capiet: magis enim ad Dei si- militudinem accedet. Vt igitur iam ad Regem no- strum veniamus, si hoc nomine dignus est, necesse profecto est, vt sit & sapiens, & fortis, & modera- tus, & iustus, & clemens, & benignus, & sanctus, & in omni denique virtutis genere florentissimus. in magna igitur voluptate versaretur, quamvis ma- teriam nullam haberet ipsius virtutis & honestatis qua fruitur, in hominum vtilitatem conferendæ. nunc verò cùm summas opes habeat, & complures etiam nationes imperio contineat, ad quas omnes virtus atq; benignitas illius emanare potest; si fue- rit officio suo functus, cui dubium esse poterit, quin vita illius summis gaudijs, & incredibili lētitia cu- mulanda sit? Deinde quidquid natura, & arte, & studio perficitur, cū facilitate perficitur. ergo si Rex fuerit natura magnanimus, & regijs disciplinis eru- ditus, & studio decoris & immortalitatis incensus: necesse profecto est, vt regnum admodum vigilan- ter administret, & omnia munera regia (quamvis diffi-

DE REG. INSTITV. ET

difficilima videantur) admodum feliciter expediat.
nullum enim tantum atq; tam difficile munus est,
quod animo maximo, & sapienti & acri & cupiditi-
tate maximarum rerum vehementius inflammato
non facile & expeditum sit. quod autem ita fit cū
summa voluptate fit. Præterea hoc satis cōpertum
est, omnes artifices cùm opus quod in manibus ha-
bebant absolutum vident, non mediocri voluptate
perfundi. architectus enim ædificio perfecto miri-
ficè delectatur; pictor cùm imaginem à se luculen-
ter expressam & coloribus decenter illustratam vi-
det, mirò enim gaudio afficitur. quid poëtas memo-
rē? quotes enim poema à se perfectū, & omnibus nu-
meris absolutum animaduertūt, toties lātitia effe-
runtur, & gestiunt. Ne autem plura resenceam, hoc
sane constat, omnes artifices operibus suis summo-
pere delectari. acquiescunt enim, & animis relaxan-
tur, cùm opus in quod multū operæ & studij cōtu-
lerāt, ex animi sentētia perfectū animaduertūt; & il-
lud quasi ingenij sui partū minimè penitendū incre-
dibiliter amant. est autem rationi cōsentaneum ut
quo ars præstantior est, & opus illustrius, eò plenior
voluptas operis illius perfectionē consequatur. ars
verò in vita nulla Regis arte præstātior est; opus nul-
lum est vel ad speciem & pulchritudinem elegan-
tius vel ad usum totius humanæ vitæ salutarius, ex
quo efficitur nullam esse voluptatē cum ea quām
Reges

Reges optimi ex operis sui consideratione percipiunt, vlla ratione conferendam. quid enim potest esse præstantius quam vnius hominis arte, sapientia, & moderatione Rempub. vniuersam opibus affluere, virtute firmari, moribus ornari, iure deuin ciri, benevolentia coniungi, atque fieri denique florantis atque beatæ vitæ participem? Sic igitur fit, ut quemadmodum nihil est tyranno misserius: sic nihil sit in vita Rege beatius. illum enim assidue insectantur, & exagitant Furiæ: hunc honestatis iucunditas, & recte factorum conscientia omni sollicitudine liberat. illum omnes mortales oderunt, & execrantur, & nomine illius ex omni memoria euulsum cupiunt. huius omnes virtutem admirantur, bonitatem diligunt, memoriam perpetuò volūtate gratissima prosequuntur. ille cum Deum iratum habet, nusquam potest sine solitudine, & metu, & trepidatione consistere: at hic noster, in summo etiam rerum discrimine, atque orbis terrarum perturbatione, diuino præsidio firmatus virtutem & constationem retinet. confidit enim sibi cœlestē auxiliū minimè defuturum. ut igitur tyrannus in epulis etiam atque delicijs & voluptatibus angore cōsciētiæ, & maleficiorum pœna conficitur: ita Rex in omnium etiam rerum deflagratione bonitatis suæ recordatione diuinoq; præsidio nixus, ad firmissimā spem salutis & dignitatis erigitur. atq; ut Tyranus est

DE REG. IN STITVT. ET

est sui ipsius hostis acerbus de celeribus suis cura,
solicitudine, metu, trepidatione, cruciatu, assiduas
poenas repetens: ita Rex se statumq; animi sui op-
ibus summis auget, omnibus præsidijs & ornamen-
tis amplificat. Quod si quisquam est qui putet ne-
gotia infinita quibus Rex ipse destinetur, animum
illius ab omni iucunditate retrahere, & magnitudi-
ne molestiarum, & curarum vi, & acerbitate confi-
cere: is primùm ignorat voluptatē (vt dictū est) non
in otio: sed in actione cōsistere. deinde ne illud qui-
dem cogitat, quo studiū & labor aliquis magis ho-
nestatē attingit, eò iucundiorē vitam efficere. hoc
ut significet Homerus, narrat Achillé eo tempore
quo propter Agammenonis offendionem pugnare
nolebat, afflictatū fuisse animo, & cupiditate certa-
minis propemodū intabuisse. quāuis enim canédi
& pulsādi peritus esset, & Veneris delicijs afflueret,
harum rerū omniū fastidio grauiter offensus armo-
rum fremitū, & cædes, & vulnera, & terrā sanguine
imbutam cernere, hostiūq; stragem edere cupiebat.
maiorem namq; voluptatē in laboribus & pericu-
lis, & in totius corporis defatigatione, quām in iocis,
atq; blāditijs, & Veneris festiuitate collocabat. Ve-
neris enim voluptates flagitio finitimas esse statue-
bat: belli verò labores atque pericula honestatem
& decus afferre, quo nihil dulcius esse iudicabat.
omnia namque si Homero credimus, ad honesta-
tem,

tem; & ad nominis immortalitatem referebat. Ut autem fabulas omittamus, Philippus Macedoniæ Rex Alexandri Magni pater, quamuis oculum effossum, humerum confractum, corpus vulneribus concisum haberet: nihil tamen de bellandi studio remittebat, imò quò magis erat laboribus attritus, eò ardentius omnia superandi cupiditate flagrabat. quid de filio eius dicam? qui nullis laboribus, aut vulneribus, aut periculis impediri potuit, quo minus orbem terrarum inquietis armis peragrarent; & ab ultima Græcia quæ est ad occasum sita profectus, Orientis imperium Gange fluuiio definiret. non labores immensos quos Pyrrhus, quos Annibal, quos innumerabiles Imperatores vel Romani, vel Græci, vel barbari, non patienter tantum: sed ultrò etiam atque libenter exceperunt, oratione complector. Milites ipsi bellicos labores in quieto animo perferunt, in gladios irruunt, & morte proposita quoduis magnum facinus aggrediuntur. vidimus ipsi nuper non duces tantum nostros, sed milites etiam Mazagano redeuntes, Maurorum ambustos incendio. ut enim Mauritaniae Regem potentissimum, qui Mazaganum obsidebat ab urbis nostræ mœnibus vittute repellerent: neque flammis, neque vulneribus, nec hostium impetu, & multitudine, qui acie instructa in muris ipsis ad quos iam euaserant, acerrimè dimicabant,

DE REG. INSTITVT. ET

ab urbis propugnatione deterri potuerunt. imò
cùm magna hostium strage, & insigni tyrāni ipsius
ignominia urbem tutati sunt. vt autem de illis qui
ibi strenuè dimicantes occubuerunt sileamus, alios
videmus fractis cruribus vix baculis innixos ingre-
di: alios manibus captos esse: aliorum aduersas ci-
catrices aspicimus: plurimos incendio deformatos
intuemur. Quid igitur? num fieri potest, vt quisquā
naturæ sensum repudiet? voluptatem aspernetur?
dolorem contemnat? mortem & cruciatum oppre-
tat? nullo modo: sed laudis dulcedo tantam vim
habet, vt cupiditatē corporeæ voluptatis extin-
guat; & laborem atq; dolorem quo corpus ipsum
cruciatur facillimè ipsius honestatis suauitate com-
penset. non igitur voluptas contemnitur: sed vnum
genus leuioris voluptatis pondere & magnitudine
alterius præstantioris voluptatis obruitur. id verò
in magnis & splendididis animis appareat facillimè.
qui enim nihil altum & generosum sapit, omniaq;
vitæ studia instar pecudis ad corporis oblectamen-
tum refert, cùm sit mentis oculis orbatus, neque na-
turam suā respiciat mirandum nō est, si non dulce-
dine dignitatis, ad labores libentissime sustinēdos
allicitur. est enim in brutorum animantium loco
numerandus. at qui verè homo est, seque ad digni-
tatem esse natum intelligit, nihilq; honestate præ-
clarius esse videt. nō solū labores honestos appetit,
et cor-

& corporis etiam voluptatem contemnit: sed vitam cùm opus est libentissimè dignitatis gratia profundit. Et tamen isti omnes ferme siue duces, siue milites, sapientes minimè sunt. in dignitatis igitur iudicio plerumque labuntur, neq; veram honestatē: sed imaginē honestatis amplexātur, tantoq; studio illā arripiunt, vt ab illius coniunctione diuelli non possint. si igitur adūbrata dignitas tantum valet ad animos magnos amore & cupiditate sui acriter inflāmandos , quid tandem verissimæ dignitatis forma atque diuinus quidam splendor efficit? & si laudis imago tantā voluptatē efficit, vt animos maximos illius suauitate delinitos ab omni fēsu doloris auer-
tat; quāta tandem voluptate perfusos fore putabili-
mus , qui verissimū ipsius honestatis decus fuerint amplexati ? omnes igitur labores nō modò leues, & tolerabiles: sed suaves atq; iucundos esse iudicabūt, negotia infinita dignitatis gratia libētissimè sustine-
bunt: dolores etiā ingentes cū iucunditate perferēt:
mortē etiam facillimè contēnent, dummodò ea ra-
tione immortalitatē consequātiir. Præclarè quidē Aristoteles beatā vitam non in otio: sed in perpetua
virtutis perfectæ functione & actione cōstituit. is enim qui veræ dignitatis amore labores ingentes suscipit, is est qui omnibus verissimis bonis affluit.
vnde sequitur Regem si fuerit sapiens , & dignitatē veram clare perspexerit, omniaque vitae officia in
-tusq; illam

illam contulerit fore beatissimū, verissimisq; voluptatibus in omni genere circumfluentē. non enim vñquā in se flagitium & dedecus admittet, neq; pro vera dignitate falsam imaginē dignitatis amplectetur. sic autē quo maiores in vita labores suscepérit, eō iucundius viuet, & maiore quodā gāudio cumulabitur. Sed ratio huius tanti muneris cum facilitate atq; suauitate gerendi, tota est in verissimæ sapiētiae studio constituta. ea namque quæ sit honestas verissima, clarissimè videt, & vltimum bonum quō sunt omnia vitæ consilia referenda perspicit, facillimeque omnia ad illud fruendum dirigit atque moderatur. Princeps igitur Reipubl. qui sapiens fuerit Remp. facile temperabit, atque ad optatum finem perducet. sic enim Rex sapientissimus Solomon ipsam Sapientiam loquentem inducit: Meum est consilium & disciplina: mea est prudentia & fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores decernunt iustitiam. per me principes imperant, & omnes qui ius in terra dicunt Remp. moderantur. ex hoc Solomonis loco, & ex alijs quāplurimis quos omitto concludi potest, omnem Reip. gerendæ rationē & facilitatē, in sapiētia summa consistere. Sed quomodo sapientia parāda sit nondum satis explicatū arbitror. multa quidem superius de artibus & disciplinis quibus tanquā gradibus ad sapientiam peruenitur differuiimus: non tamen exacte in quo sapien-

sapiencia ipsa consistit ex planauimus. multi namq;
mirabili ingenio, summaq; doctrina prædicti fuere:
quos tamen sapientes appellare non licet , eò quod
se flagitio & scelere contaminarint. nec enim sapiēs
est, qui sibi plurimū nocet; nocet autē sibi plurimū
qui flagitijs coöpertus est . atq; vt isti sapiētes habē-
di nō sunt: ita nec insipiētes appellandi qui summis
virtutibus orniati sunt, & optimā viuendi rationem
penitus exploratā habent; quāuis nō sint illis artib'
quas diximus erudit. id igitur in quo fructus sa-
pientiæ consistit animaduertendum est. hoc autem
satis constat, omnia verissimæ sapientiæ decretā ad
beatum animi statum cōferri. Is igitur sapiēs est, cui
animus est præclarissime constitutus. recta porrò
animi constitutio , mentis atq; voluntatis consen-
sione continetur. est enim mens humana diuinæ
mētis imago, in quā est diuina lex manu Dei ipsius
inscripta. hæc autem lex quām naturæ legē , quām
sempiternam , quām diuinā appellamus , ab omni
flagitio, turpitudine, temeritate deterret: & ad om-
ne genus decoris, & honestatis, & optimā viuendi
disciplinam erudit, usque adeò , vt in flagitiosis
etiam hominibus cum impunitatem suscipiant, vis
ipsius insitæ legis appareat. reclamitat enim lex , &
fœdum atq; flagitiolum esse testatur , & perniciem
quam turpitudo afferre solet sæpenumero porten-
dit, & post scelus admissum sceletis ipsius cōsciētia
scipio

DE REG. INSTITVT. ET

animum exterret. semper igitur mens natura sua
flagitij odio tenetur: sed libidinis immanitate vi-
ta; cupiditati flagitosæ succubit. videte quid apud
Plautum dicat adolescens flagitosus & perditus:
Sciebā ut esse me deceret, facere non quibam misen-
ita vi Veneris victus, otio captus in fraudem incidi.
ostēdit adolescens ille Plautinus non esse se penitus
orbatū mente: sed nō esse tantā vim in illius animo
ut possit à se pestē auertere. animū enim vi libidinis
excæcatum in pestē ante oculos positam sponte sua
ruere. Quod si is quisibi plurimum voluntate sua
nocet stultissimus est, illius certè summa stultitia
est, qui contra mētis suę iudiciū instigant libidine,
pestē sibi & exitiū sempiternū nefarie atq; flagitio-
se machinatur. si enim qui corpora sua morsibus
suis lacerat atq; ferro vulnerant furiosi existimandi
sunt, quomodo sanos appellabimus illos qui ani-
mis suis (quòd est multo grauius atq; detestabilius)
mortiferū vulnus imponūt? ergo cùm oēs quorum
effrenata volūtas à mentis iudicio discrepat, furiosi
& insani sint; illi certè quorū voluntas cū mentis &
rationis iudicio cōsentit, sapientes existimādi sunt.
qui enim rectè rationi paret, legi dininæ paret; & ita
in errorē induci nō potest. est enim recta ratio, lex
diuina in animis impressa & insculpta. Id igitur
quod refert Socrates apud Xenophontē de agricolo-
lis & imperatoribus, etiam reliquis vitæ communis
officijs.

officijs accōmodari potest'. dicit enim nec agricul-
turæ studiū, nec artis imperatorię disciplinā esse dif-
ficilem, totā enim vtriusq; officij laudē in eo positā
esse, vt summa diligētia & alacritate quisq; faciat, id
quod facile cuiuis in métē venire posset. quis enim
agricola non intelligit esse terrā diligēter arandā, &
iterandā, & subigendam, & semen cumprimūm se-
minandi tempus aduentat spargendum, & inutiles
herbas quæ frugibus officiunt euellēdas, & reliqua
omnia quibus segetes lætiores & vberiores fiant,
opportunè conficienda? Nemo certe. Quid est igi-
tur quo bonus colonus malo pr̄estet? industria pro-
fecto atq; diligētia, bonus enim ea omnia diligē-
ter exequitur, quæ agriculturę disciplina pr̄scribit:
malus autē ignauia atque desidia corruptus differt
atq; procrastinat, & interim tépus elabitur. Quid
de imperatore dicendū? num obscurū est quāto sit
rectius ita rem gerere quasi hostes semper in cōspe-
ctu sint, quām nihil aduersum timēre? hostium cō-
filia explorare quām insidijs opprimi? ordinē per-
petuo conseruare, quām ordinem & disciplinam
negligere? quid igitur inter bonū & malū impera-
torem interest? hoc certè quod bonus & sapiēs im-
perator, id quod optimū factu esse nouit, summa di-
ligentia perficit, neq; rei benegredendæ occasionem
effluere finit: malus autem id quod gerendum esse
videt, vel ignauia impeditus in aliud tēpus reser-

DE REG. INSTITV. ET

uat, vel timore fractus efficere non audet : sic etiam in communi vita , quilibet qui non prorsus mentis expers est, intelligit quantum sat est, quod sit officium suum : officium tamen aut ignavia deserit; aut scelerere prodit; aut aliqua nefaria cupiditate impeditus omittit. Vnde colligitur summā sapiētiæ in hoc positam esse. vt nunquam voluntas rationis imperium recuset : sed cum primū mens aliquid rectum & honestū esse statuerit , id protinus exequatur. vt enim temeritas est in mentis atq; voluntatis dissidio constituta: ita consequens est vt sapientia in harum duarum partium consensu & fœdere consistat: vt videlicet nunquā voluntas velit, nisi quod mens expetendum esse iudicauerit ; neq; in consiliū libidinem: sed rationem adhibeat. Cùm igitur Regem nolumus esse singulari atque prope diuina sapiētia prædictum, hoc planè volumus, vt nunquā illius volūtas à recta ractione dissideat. nec enim ab eo regnum sapienter administrari poterit, qui regnū animi sui non habuerit sapientissime constitutum. si enim ratio (cui est in animo regnū attributū) non omnes animi partes sibi dicto semper audiētes habuerit: si nō omnes labes quę illius statū corrūpunt oppresserit: si non immoderatam cupiditatē imperio cōstrinxerit: si deniq; se libidini in seruitutē addixerit; quomodo tandem imperium pro dignitate geret ? qui enim turpiter seruit, imperiū cum dignitate

tate tueri non potest. Nunc igitur cùm planum sit
sapientiam in consensu mentis & volūtatis debere
constitui, restat vt videamus, quomodo id fieri pos-
sit. non enim tam facile est, quām olim quidā homi-
nes acuti & eruditi disputabant, qui omnia in pote-
state hominis ponebant. si enim ita esset, doctissi-
mus quisque fuisset omni virtute ornatissimus : sed
non ita est ; imò constat multos præclarissimis ar-
tibus eruditos, fuisse multis flagitijs infames. quin
etiam illi qui secum statuunt nihil esse virtute præ-
clarius, & toto animo cupiunt in studiū ipsius hone-
statis incumbere, ab hoc tam præclaro conatu saepe-
numero indomitæ cupiditatis impetu repelluntur.
quodquidem satis ostendit, rectum statū animi nō
hominis studio: sed diuino beneficio & munere cō-
tineri. Duo namque sunt hominis munera . vnum
est intelligere : alterum agere. alterutrum autem
qui sine ope diuina fieri posse credit , stultè arrogás
est , & Christianæ pietatis ignarus. primum enim
vt oculi quamuis natura sint vigentes & acres , ob-
scura tamen nocte aut densa caligine circumfusi,
non possunt clarè quod est ante oculos intueri : ita
mens humana diuitina luce destituta , quamuis ali-
quid quasi per caliginem aspiciat , non tamen ita
clarè cernit, vt non səpē offendat , & concidat , &
erroribus infinitis implicetur . tetra enim nox &
miseranda caligo est diuinæ lucis abscessus . soli

DE REG. INSTITVT. ET

igitur illi acutissimè vident, quorum acies diuinæ
mentis lumine splendent, solisque illius sempiterni
radijs illustratur. Deinde quamuis nihil aspectum
mentis impediret, tanta est imbecillitas in nobis, ut
id quod rectum & honestum esse cernimus, tueri &
conseruare diu minimè queamus. ratio namque
infirma est, cupiditas autem fera & immanis. itaq;
multis facibus, tanquam Furia quædam succinta
& armata vim intentat, & rationem machinis op-
pugnat, & inuitam etiam atque repugnantem de
omnistratu conuellit. Diuinis igitur armis, diuinoq;
præsidio tanta vis mali propulsanda est, quando hu-
manis viribus arceri nequit. vtrumque igitur præ-
sens Dei numen & gratia facit; primùm quidem vt
humanam mentem sua luce compleat, qua multa
quæ erant antea crassis occultata tenebris clare per-
spiciat: deinde vt animum diuino robore fulciat
atque confirmet; quo facillime cupiditatem pro-
fligare, & rationi obedire possit. tunc igitur demum
eminebit suauissimus ille consensus, & conspiratio
mentis atque rationis, quo nihil beatius in vita po-
test excogitari; cùm in nobis diuinæ mentis splen-
dor & numen eluxerit. nam quid iuuat obedire ra-
tioni, cùm ratio tenebris obscuratur? quam vtilita-
tem affert rectum rationis imperium, cùm voluntas
illud propter imbecillitatem, & cupiditatis impo-
tentiam sequi non potest? solus igitur Deus est hu-

jus

ius verissimæ sapientiæ magister, huius diuini status conditor atque moderator, & huius tantæ felicitatis effector. vnde concluditur omnem summæ sapiétiæ rationem in Dei cognitione, in ardéissimo pietatis studio, in amore illo deniq; quo mens pura & casta cum diuina mente arctissimo vinculo constringitur, collocandam esse. Cùm igitur Regi hoc propositum sit vt nō solum ipse beatus sit: sed uniuersam Rempub. beatam efficiat, omnisque beatæ vitæ ratio in vera sapientia consistat, quæ Dei clarissima notitia, inflammatoque pietatis studio continetur: consequens profectò est, vt omnes Regis curæ, & cogitationes, & studia in cultum religionis atque sanctitatis conferantur. cœlum igitur tota mente suspiciat; opera diuina contempletur; diuinam mētem consulat; Dei præsidium imploret; summa fide & pietate numen illius veneretur; & intelligat se non posse ullo modo Regnum sapiéter & aptè moderari: nisi se totū ad imitationem Regis illius summi atque sempiterni contulerit. imitari verò illum non poterit, nisi sæpenumero mentem in benignitatem illius intenderit: & sapientiam ordinem quo cūcta gubernat inspexerit: & de illius amplitudine & æquitate assiduè cogitauerit: neque solum precibus, & votis, sed iustitiæ atque pietatis studio gratiam illius adeptus fuerit. Quamuis igitur sit negotijs innumerabilibus oppressus, & curis

DE REG. INSTITVT. ET

districtus: necesse tamen est, vt aliquod tempus ex summis occupationibus eripiat, quod hominum turba liberatus, & in intimo aliquo sacrario inclusus in Dei iucundissimo colloquio atque familiari-
tate consummat. imò tunc vel maximè cùm illum ne-
gotia vndique premunt, & infinita pericula circū-
uallant consilium & opem à Deo flagitet. si enim
superbum & temerarium est, sapientis hominis cō-
silium aspernari: quid superbius & amētius eſe po-
test, quām sapientissimi illius parentis consiliū ne-
gligere? & si in rebus aduersis Reges aliorū regū au-
xiliū implorant: cur non multo magis summi illius
atque potentissimi Regis opem summa contētione
& studio flagitabūt? quid enim amētius quām con-
silium & auxiliū petere ab hominibus, quorū ple-
rumq; mētes tenebris oppletæ sunt; & qui fidē pa-
rum sanctè colūt; & quorū opes sunt fragiles, & ina-
nes, & interituræ: illius verò summi Domini cuius
sapientia, & fides, & potestas nō modò stabilis atq;
fempiterna est: sed etiā immēsa & infinita consilium
& opem contemnere? contemnit porrò consiliū &
opem illius, qui maiore operā in petendo ab homi-
nibus cōsilio, & in humano pr̄xidio cōparando: q̄
in diuina mente consulēda, & in ope illius implo-
randa ponendā arbitratur. Cùm igitur humana ex
diuinis nexa sint, iudicio diuino plerūque fit, vt qui
diuinam potissimum opem expetit, vtraque tandem

ope

ope muniatur: & qui diuina ope neglecta prius auxilium humanū conquirit, vtroq; nudetur, & infamiam sempiternā subeat. Hic igitur Rex noster si nihil habuerit studio religionis atque pietatis antiquius, nunquā erit diuina ope & auxilio destitutus; & à Deo disciplinā hauriet, qua munus sibi assignatum sapiēter obeat, & oīa negotia regni cū summa felicitate cōficiat. primū enim mentē habebit purā, & nitidam, diuinæque lucis radijs incensam, & spēdore diuinæ sapientiæ mirabiliter illustratā: deinde animum magnū & excelsum geret inuicto robore, & diuina constantia, & cœlesti præsidio cōfirmatū: tum mentem in diuina luce atq; moderatione difixam habebit; vt animo cōcipiat speciem & exemplum ad quod omnia cōsilia, & oēs actiones Regis dirigendē sunt. nam humanæ vitæ conditio est fluxa, & instabilis, varijsq; mutationibus obiecta. ideo igitur se vnius arbitrio cōmittit, vt illius moderatione possit ex perturbatione in ordinem reduci; & à iactatione & tempestate in quietū & tranquillum statum reuocari; quòd fieri non potest: nisi quoad licet & fas est, ad imaginem earum rerū quæ nullā mutationē habent, vnius rectoris cōsilio & actione referantur. Ut igitur id fieri possit oportet Regem semper in res diuinas atque sempiternas inspicere, earumque similitudinē rebus fidei suæ commissis accommodare; & quantū enī studio poterit efficer,

DE REG. INSTITVT. ET

re, ut in rebus humanis ordo diuinæ moderationis eluceat. aliter enim nunquam beatum statum in regno suo constituet. vt enim pictor egregius non potest formā aliquam ad similitudinem pulchritudinis excellentis exprimere; nisi species illa quam imitari penicillo studet, penitus in mente illius infederit: ita neq; Rex qui volet in regno suo formam cœlestis decoris atq; dignitatis effingere, id præstare poterit; nisi prius fuerit speciē illius summi Domini & ordinem quo cœlestia moderatur, mēte atq; ratione complexus. deinde incidunt sæpenumero res obscuræ & ancipites, quæ nullo modo possunt ingenijs humanis explicari; nisi fuerint diuinis legib⁹ & institutis erudita, & cœlestis luminis spléodore col lustrata. ea autē de causa præcipiebat in lege Dñs Regibus vt legē describerent, vt in illorū memoria firmius inhæreret, atq; eā perpetuò mēte recolerēt: vt ita numinis metu se ab omni flagitio continerēt, & ita facilius luce diuina fruerētur. Iesu verò Mosis successori ait: Ne recedat volumē legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus atq; noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eō. hæc quidem eo in loco præscribit Dominus nō illi tantū sanctissimo principi: sed omnibus qui ritè officio fungi, & populū sapienter gubernare volunt, vt perpetuo in legis diuinæ studium incumbant. Lex enim Dñi (vt inquit Dauid.) illustrat mētis aciem,

&

& tenebras omnes discutit, & facit deniq; ne possit
animus errore aliquo turbulentio compleri, & à stu-
dio veritatis auocari. qui igitur in assiduo studio
legis diuinæ versatur, & in Dei benignitatē respicit:
illius consilijs instruitur, & quid in rebus difficili-
mis agendū sit, facillimè videt. Si igitur Rex repen-
tino aliquo metu cōturbatus, ab hominibus nō mi-
nore formidine perculis & abiectis cōsiliū petit,
qui consiliū dare nō possunt: quomodo nō multo
magis à lege diuina, atq; adeò ab illa sūma sapiētia
quæ falli & errare nō potest, neq; suorum preces &
vota repudiat, consiliū postulabit? Præterea vt iam
sepè diximus regēdi & imperādi munus est diuinū.
quis enim nō videt diuinū munus esse p̄figare bel-
lum, cōstituere pacē, dare salutem, excitare iacētes,
subleuare afflictos, coērcere improbitatē, tueri in-
nocentiā; atq; postremò lumē vniuersitē patriæ iusti-
tiæ, virtutis, pbitatis ostēdere? si autē hæc omnia mu-
nera diuina sunt, diuina profectō sapiētiā ad ea ad-
ministranda requiritur: diuinā autē sapientiā nemo
potest adipisci, nisi se totum Deo in disciplinā tra-
diderit, & se penitus in familiaritatē illius immer-
serit: inde fit vt nemo eam sapientiā sibi parare pos-
sit, nisi fuerit vita purissimus, & sanctissimę religio-
ni deditissimus. vt enim corpus tersum & expolitū
cūm radijs Solis opponitur, lucem Solis accipit, &
ita micat, & vibrat, vt in illo Solem te intueri putas:

sic

DE REG. INSTITV. ET

sic animus castus & integer ad splendorem diuinæ lucis adiunctus lucem in se diuinam recipit, & ita collucet ut similitudinē splendoris diuini in omniū oculis & aspectu constituat. Cūm igitur luce diuina splendeat clarissimè quid rectum, & simplex, quid elegans, atq; decorum, quid cōmodum, & salutare sit perspicit; & ita facillimè omnia quæ ad pūblīcam salutē pertinent absoluit; & vniuersam Rép. cum summa felicitate inoderatur: nec enim solū videt quomodo Resp. regenda & temperanda sit: verum etiam vires diuinæ adipiscitur, quibus omnia quæ vtilissima fore prospicit, exequatur. similitudo enim amorē conciliat, amor voluntates fœdere copulat, & rerum omnium communione & societate conglutinat; ita verò sit ut qui Dei similitudinem vitæ puritate, & sapientiæ claritate refert: illi amore sanctissimo coniungatur, & ab illo virtute atque robore diuino firmetur; quo facillime omnia quæ velit, quāuis sint nimis ardua atque difficilia, cum facilitate perficiat. Quid igitur esse potest principe casto, sancto, atque religioso beatus? hic enim est ille sapiens quem Plato Reipub. præfici cupiebat, sub quo Remp. fore beatissimam prædicabat: cūm enim Princeps virtutibus diuinis ornatus, opibus diuinjs instructus, studioq; diuinitatis & immortalitatis incensus, ad Rép. gubernandā accesserit: non homo, sed Deus ipse Rempub. illam gubernabit.

Deus

Deus enim in pectore sancti Principis inclusus eū mouebit, & incitabit, & de rebus gerendis erudiet, & linguā illius, & manū, & oculos & mentē numine suo moderabitur, & facile in studiū publicæ salutis impellet. præclare Solomon : Sicut diuisiones inquit, aquarum : ita cor Regis in manu Domini, quocunq; voluerit impellet illud. non de Tyranno loquitur, cuius mēs à Deo semper auersa est: sed de Rege qui se totū ad studiū cœlestis Regis adiungit, vt igitur doceat quā facile is qui vere nomen Regis obtinet, munus suum obire possit, ostendit illum in omnibus quæ agit numine diuino moueri & incitari, vt enim qui hortum propter aquarum fluenta colit, facillimè aquam elicit, & sarculo diducit ad omnium olerum, & plantarum, & arborum radices irrigandas : sic Deus cor optimi Principis qui se numini illius cōsecrauit, mouet, agitat, & impellit, vt facillimè virtus illius ad munera quæ sunt illi obeunda deriuetur : omnibusque rebus quæ illius moderatione continentur accurrat, atque prouideat ; & totum regnum vigilanter atq; feliciter administret. siue enim bellum parat, siue pacem cōstituit, siue malos exterminat, siue bonos amplectitur, siue improbitatem extinguit, siue ad studiū virtutis ciues incitat, siue leges atq; iura describit, siue legū transgressores punit, siue quidquā aliud gerat, semper Deum præsentē habebit; & ita omnia facillimè audiuntur . numine

DE REG. INSTITV. ET

numine illius subnixus expediet. Præterea bonos studio sui mirabiliter inflammabit, vt iussis illius sponte & alacriter obediāt: pigris autem & ignauis exēplo virtutis suæ stimulus admouebit; homines autem profligatos atq; perditos qui tam præclarū opus impedire conantur de medio tollet. vt enim diligens agricola ne segetes intereant herbas noxias frugibus euellit: sic Rex sanctus & pius scelera radicis extrahit, ne virtutis frugibus officiant. nec enim ibi multum potest, iustitiæ seges exurgere, vbi iuiquitatis & iniuriæ sylua dominatur. Nō solum igitur diuino auxilio corroboratus: verū etiā bonorū ciniū præsidio munitus facillime munus quod tam difficile videtur efficiet. multi enim illū adiūu abūt, & qui impedire voluerint vel interimētur, vel saltē metu coērcebūt. amor præterea ciues incitabit, vt cum summa etiam voluptate quidquid ille iusserit exequiantur. si enim virtus in quocūque illa perspecta fuerit amore conciliat, multo certè magis cùm in Rege fuerit animaduersa hominū voluntates commouebit, studioq; illius multo vehementius inflammabit. si enim mediocris in Rege virtus hominum ad se studia atq; voluntates mirabiliter allicit, quid tandem summa illius virtus & excellens in patriam caritas efficiet? Erit enim hic noster Rex iudicis bonis, infestus improbis, perfugium miseris, alleuamentum oppressis, iniectum præsidium hominibus.

hominibus omnium ope destitutis. nec enim solum
est legii custos, publici iuris vindex, communis salutis
autor: sed etiam pupillorum tutor, viduarum patro-
nus, & omnium denique qui propter inopiam po-
tentium iniurijs nimis obiecti sunt, acerrimus de-
fensor atq; conseruator. semper enim tuetur inno-
centiam, retundit improbitatem, subsidio occurrit
imbecillitati, & prædā è tyrannorū faucibus extor-
quet. opes quas cōgerit, non sibi: sed patriæ cōgerit,
easque libētissime cū fortibus & spectatis homini-
bus qui Rép. virtute & industria tuentur, munificè
atq; largè cōmunicat. Quod vt rectius facere queat
erit in priuato sumptu cōtinens, in publico libera-
lis, domi frugalitatis laudem quæreret, in templorum
verò ornamētis, in publicis mœnibus, in ciuitatum
propugnaculis, in regni denique totius patrocinio
virtutis & magnificentiæ nomen immortale conse-
quetur. ita demum vitā instituet, vt nō se sibi: sed
patriæ natum existimet. nunquam enim in regno
administrando de cōmodis suis, semper autem de
patriæ salute cogitat; vsque adeò vt dū patria tran-
quilla pace & honesto otio frui valeat, ipse labores
ingentes libentissimè toleret; & vt salutem Reipub.
tueatur, spontè vitam in summum discrimē salutis
inducat. Qui potest igitur fieri vt si Rex tam diui-
nis virtutibus ornatus fuerit, & si illas tāta merita
& beneficia in Rép. vniuersam constiterint: non ab

Q

omni-

DE REG. INSTITVT. ET

omnibus eximiè diligatur, & nō vniuersi ciues pro illius dignitate vitam in summum discrimen injicant; & sint in obsequio illius summa fide & alacritate consentientes? quòd igitur Tyranni neque viribus, neque potentia, neque minis, neque supplicijs obtainere possunt: id Reges virtute, & pietate, & lenitate, & beneficentia facillimè consequntur. Quòd si vera voluptas est comes honestatis, si summae sapientiae partus, si opera summo opere & excellente perfecta consequitur: quæ tandem voluptas erit Regis cùm se viderit tantis in omni genere virtutis ornamenti exultum, & tam diuinis opibus à Deo summo quem vita, & imperio, & præclarissimis institutis imitatur egregie cumulatum? & cùm opus quod suscepit diuino quodam artificio perfectum & absolutum aspexerit, in quanta tandem lætitia & voluptate versabitur? quanta & quām incredibili iucunditate perfruetur? quantum denique fructum ex virtute & sapientia sua percipiet? Hinc planè liquet quām falsum sit id quod antiqui Sophistæ disputabant: Iustitiam nempe esse bonum alienum, malum verò proprium; eo quòd iusti bona sua potius interire sinant, quām fidem violent, aut aliorum bona suæ fidei commissa dilabili atque dissipari patientur. non intelligebant homines amentes & perditæ, quæ sit verorum bonorum atque malorum ratio; & idcirco in tam falsas

&

& inanes sententias incidebant. vt enim nemo po-
test alicui iniuriam facere , quin longè sibi peius
noceat , quām illi cui iniuriam intulit : alterius
enim corpus lædit , aut fortunas imminuit , animi
autem sui statum conuellit , fœdissimumque suæ
menti vulnus infligit : ita nemo potest alteri opem
afferre , quin sibi ipsi maius emolumentum & uti-
litas paret , quam illi quem iuuuit , attulerat .
opibus tuis aliorum inopiam sustentas : opes ipse
tibi stabiles atque sempiternas in animo recon-
dis . auxilio & consilio , & gratia aliquem bonum
virum iuuas : ipse diuina ope & auxilio firmaris .
vitam aliorum tuendam suscipis : & ea ratione vi-
tam immortalem consequeris . aliorum famæ &
honestati consulis : & ipse tibi eo officio laudem &
honestatem summam concilias . denique quidquid
est illud quod ad aliorum utilitatem cōfers , id cum
multiplicato fœnore recipis , & virtutis ipsius fructū
cum gaudio ingenti cumularis . quo autem virtus
amplior est , & illius utilitas ad plures emānat : eò
sunt animi opes ampliores , & lātitia maior , & sta-
tus ipsius animi clarior & magnificentior . Cùm ve-
rò nulla humana virtus virtute regia clarior sit , nec
quæ ad plures pertineat ; reliquum est vt nemo sit
in Rep. bene constituta atque beata ipso Rege qui
Remp. beatam efficit felicior atq; beator . insūmit
quidē ille in publicam utilitatē aurum & argentū :

DE REG. INSTITVT. ET

& opibus interim diuinis augetur: vigilat vt subditi
securi dormire possint; ex ea autē vigilantia fructū
eximiæ securitatis atq; summæ voluptatis assequi-
tur ; multos quidē labores excipit : sed animi inte-
rim summa quiete & trāquillitate perficitur ; mul-
tis se periculis exponit: sed ita vt clarior, & amplior,
& amabilior ea virtute fiat ; vitā breuē & exiguam
pro patrię salute in discrimē adducit: sed ea ratione
nominis immortalitatē & vitam sempiternā adipi-
scitur ; ætatem in Rep.summa animi cōtentione &
studio tuenda cōsumit: sed artis & sapiētiæ suæ fru-
ctum amplissimū percipit,cùm Remp. à se opulen-
tam,fortē & liberam, & moderatā,atque omnibus
opibus amplificatā considerat . nec enim dicet idē
quod Cæsar olim Octauianus de Roma dicebat ;
Inueni lateritiam , relinquo marmoream. sed quid
dicet ? inueni Remp. exhaustā, relinquo opibus af-
fluentem ; inueni fragilem & imbecillam, relinquo
virtute munitam ; inueni flagitijs infamē, relinquo
moribus egregie constitutam ; inueni dissidentem,
relinquo mutua ciuium inter ciues caritate deuin-
ctam ; inueni temerariam & insanam, relinquo sa-
pientiæ disciplinis excultam ; inueni deniq; vt vno
verbo dicam miserā , & relinquo beatā. Quid cùm
viderit hoc tantum atque tam præclarum opus esse
operi illi simillimum , quod à summo cœli rectore
perfectum, omnibusq; suis numeris & partibus ab-
solutum


solutum mente complectitur? vt enim ille cœlum, terras, maria, omnesq; naturas forma dissimiles, vi repugnantes, motu contrarias vna eademq; perpetua lege moderatur atq; cōnectit: ita vt ex omnibus partibus aptissima ratione & numero colligatis, vnum mundū specie pulcherrimū, & stabilitate firmissimum quem à principio finxit, eodē imperio & ratione cōseruet: ita Rex è diuersis hominū natūris, & studijs dissimilibus atque cōtrarijs, singulari tamen modo & ratione ad vnum finem reductis, & inter se fœdere & societate deuinctis, vnam Remp. efficit gloria & honestate clarissimā, & viribus atq; virtute munitissimā. & quēadmodū Rex ille summus atq; Pater Optimus non sibi (nec enim opibus vllis indigebat) illa natura præcellens atq; beatissima: sed nobis mundū ædificauit, eundēque ad nostros usus rerū omnium copia. & vbertate cōpleuit: ita Rex hic noster non suis cōmodis seruiet, sed oēs opes suas ad Reip. vtilitatē cōferet, & propriæ vtilitatis oblitus operam dabit, vt Resp. omnibus bonis quæ vel ad corporis victū & cultū, vel ad animi præsidium & ornatum fuerint necessaria redundet. Postremò quēadmodū rerum omniū parens & cōditor in operibus à se perfectis acquieuit, & illis quemadmodū Sanctæ literæ loquntur oblectatus est: ita Rex hic Rep. à se egregie moderata atq; cōstituta animo conquiescit, & eximia quadam iucū-

DE REG. INSTITV. ET

ditate perfunditur. nec enim hic noster Reip. conditor vllis viribus impediri poterit , quo minus institutū sapienter opus feliciter absoluat . cùm enim sit sapientia prouidens, æquitate rectus, virtute invictus, frugalitate moderatus, religione sanctus, atque ita (ne plura dicam) ipsi Deo similitudine vietæ coniunctus, vt nec ab illius cōiunctione distrahi, nec illius ope distitui possit ; omnia profectò quæ ad Reip. salutem pertinebunt, facile atque feliciter exequetur ; & ita ingenti gaudio cumulabitur. Nō igitur negotiū est tantis difficultatibus obstrusum quantū multi suspicantur : adsit modo virtus, institutio , disciplina , quam sumus oratione complexi, pietas in patriam, & fides, & religionis studium , & reliqua amplissima dignitatis ornamenta atq; præsidia Regis animum exornent, atque robore diuino communiant; nihil erit tam arduum atque difficile quod non (vt sæpè jam dixi) facillimè & felicissimè transfigatur. Quid hic dicam quāta voluptas illa sit, quam assiduè percipit ex Dei familiaritate & consuetudine ? quam suavi colloquio spiritus diuini perfruatur ? quantis diuinæ mentis viribus ad studium diuinitatis incitetur ? quāta spe nixus ad hæreditatem Regni sempiterni atque cœlestis aspiret ? Quām magna (inquit Rex ille sanctissimus) multitudo dulcedinis tuæ Domine, quā reseruasti diligētibus te ? alibi vero ait: Omnes qui ad Deum accedunt,

dunt, torrente sempiternæ lœtitiae compleri, & gaudijs sempiternis inebriari. Et ne pluribus verbis in explicatione rei illius vtamur quæ nullis verbis explicari potest: hoc sane constat nihil esse quod pura, & liquidam, & constantem, atque summam voluptatem efficiat, præter sapientiam & verissimam dignitatem; quæ cùm tanto clarius elucidere debeat in Regibus quām in cæteris hominibus, quāto amplior & magnificètior est gradus in quo locati sunt: consequens est, vt illorum voluptas sit plenior, & constantior, & spe etiā illius summi & altissimi loci qui designatus est omnibus Regibus qui pietatem coluerint, & plurimum operæ & studij in publicam salutem contulerint augeatur, mirisq; in dies accessionibus amplificetur. Sed de Regno illo cœlesti nihil dicere possumus, cùm nemo illius opes ingenio & cogitatione complecti valeat, ad quas ævo sempiterno perfruendas aliquando tandem CHRISTI gratia & beneficio peruehamur.

LAVS DEO.




POLYSIPPONAE,

EXCVDEBAT FRANCISCVS
CORREA AMPLISS. ET SERENISS.

Cardi. Infan. Typogra.

A. 1572. M. Ianu. D. 22.

TYPOGRAPHVS LECTORI.



IXDVM opus hoc de Reginis institutione & disciplina, à R. D. Hieronymo Osorio Epis. Syluen. per eos quos ipsi amicos esse sciebam, ut in hac nostra officina typis excuderetur impetratum absoluera: cum mihi ab eodem errata non pauca cum graui querela, & peracerba nostræ diligentia accusatione mittuntur. quæ mihi quidem res maiorem attulit molestiam quam ut quisquam possit existimare, eā siquidem diligentia adhibueram, vt liber hic quam emendatissimus in lucem prodiret, quā satis esse arbitrabar. sed partim ignauissimorum chalcographorū oscitatio: partim quod is cui emendandi cura incubebat alijs impediretur; aut certè librarij vitio qui exemplar nobis traditū ex ipso autographo fide haud qua quā bona excripsisset: quib' accessit, quod autor qui in Algarbio tanto locoru interuallo aberat, vt sine dispēdio & graui nostræ officinæ incōmodo adiri nō posset effectū est, vt labor noster & diligētia inanis reddeatur. Quando igitur lector optime huic malo mederi alia ratione nō possumus, errata oīa hīc in vnū cōgesta exhibemus: quo facilius & tibi atq; pximo typographo qui hoc opus denuo excudendū pararet, consultū esset: ne in eundē (quod aiunt) lapidē nostro periculo edoctus impingeret. Vale.

R

ERRATA.

¶ Folio 3. afronte, linea 24. nihil esse animo, lege nihil esse animo maximo. ¶ Fol. 4. atergo, linea 12. moderetur, lege moderatur. ¶ Fol. 7. atergo, linea 4. faustis omnibus, le. faustis omnibus. ¶ Fol. 9. afronte linea 3. le. consecuta sunt. ¶ Fol. 12. atergo, lin. 5. oblegandā, leg. ablegandam. ¶ Fol. 16. afronte, linea 24. torpere, lege torpore. ¶ Folio. 19. atergo, linea 20. aliquæ reliquiæ, lege aliquæ reliquiæ. ¶ Fol. 20. atergo lin. 9. inuiles, lege inutiles. ¶ Fol. 23. atergo, lin. 8. in fradem, le. in frau- dem. ¶ Fol. 24. afronte, lin. 15. tantumdem, lege. tantum de. ¶ Fol. 25. atergo, lin. 25. ad libertatem, lege ad liberalitatem. ¶ Fol. 26. atergo, lin. 25. ornata, lege ornatè. ¶ Fol. 27. atergo, lin. 25. attinent, lege attinet. ¶ Fol. 33. atergo, lin. 21. collocanda, lege. collocandam. ¶ Fol. 35. atergo, linea 20. destandā, lege detestandam. ¶ Fol. 38. in frōte, lin. 14. bethle- micus, lege bethlehemiticus. ¶ Fol. 39. in frōte linea 9. possis, lege possit. & lin. 17. vesari, lege versari, & atergo, lin. 8. sustendum, le. sustinendū. ¶ Fol. 40. linea 10. in Reipub. lege in Republica. ¶ Fol. 47. atergo, lin. 23. dicere, lege discere. ¶ Fol. 50. afronte, linea 6. fit, lege sit. & eod. fol. atergo, lin. 14. quantus, lege quantas. ¶ Fol. 55. afronte, linea 23. aledan- drum, lege alexandrum. ¶ Fol. 57. afronte, lin. 5. flagras, leg. flagrans. & atergo, linea 23. cum diguitate, lege cum in dignitate. ¶ Fol. 58. atergo, lin. 19. igitur, le. si igitur. ¶ Fol. 60. atergo, lin. 27. comode, le. quomodo. ¶ Fol. 61. lin. 24. patiatur, leg. patientur. ¶ Fol. 63. afronte, lin. 1. totius, lege & totius. ¶ Fol. 66. atergo, lin. 10. licentiae, lege licentia. & linea 17 denum, lege domum. ¶ Fol. 67. afrōte, lin. 20. in quod, scribe id quod. & atergo, lin. 24. gubernare, lege gubernari. ¶ Fol. 69. atergo, linea 6. furentem, lege furenter. ¶ Fol. 70. afronte, lin. 3. suo, lege sua. & lin. 6. carpat conficiat, lege carpat atque conficiat. ¶ Fol. 44. afronte, linea 19. iudio, lege iudicio. ¶ Fol. 80. afronte, lin. 18. sed id, lege sed quid id. ¶ Fol. 83. afronte, lin. 4. habeat, lege habeant. ¶ Fol. 90. atergo, linea 1. erūm, lege eorum. ¶ Fol. 97. atergo, lin. 19. pueris, lege puerilis. ¶ Fol. 98 atergo, linea 20. preditas, lege predicas. ¶ Fol. 105. atergo, lin. 7. diside- tes, lege dissidentes. ¶ Fol. 107. afronte, linea 10. relique, lege relinque. ¶ Fol. 108. afronte, lin. 9. gerat, le. gerit. & atergo, lin. 15. Rem. vniuer- sam, lege Rempublicam vniuersam. ¶ Fol. 109. afronte, lin. 20. versaba- tur, lege versatur. & atergo, lin. 6. effecit. lego efficit. ¶ Fol. 110. atergo, lin. 5. onde, lege vnde. & lin. 9. cōtineri, scribe cōtinere. ¶ Fol. 115. atergo lin. 23. in pullus, lege in purus. ¶ Fol. 116. atergo, lin. vlti. moderatione, lege meditatione. ¶ Fol. 117. afronte, lin. 17. eo temperatione, lege ea temperatione. ¶ Folio 119. afronte, linea 19. fine quo, lege sine quo.

¶ Fol.


Fol. 120. afronte, linea 21. abdomen, lege abdomen. & eod. fo. atergo
linea 9. auertit, lege auertat. ¶ Fol. 122. afronte, linea 20. in illi, le. in illis.
& eod. fol. atergo, lin. 21. seruit, lege feruet. ¶ Fol. 123. afronte, lin. 24.
metus autem ut duplex, lege metus autem duplex. ¶ Fol. 125. afronte,
linea vlti. assurge, lege assurgere. ¶ Fol. 126. afronte, lin. 12. paretes, lege
parentes. ¶ Fol. 129. afronte, lin. 15. dignitate, scribe dignitati. & eodem
fol. atergo, lin. 16. obire lege obiri. ¶ Fol. 130. afronte lin. 3. commen-
dandum, lege commendandum. ¶ Fol. 132. afronte, lin. 25. conseruūt
lege conserunt. ¶ Fol. 134. afronte, linea 13. vel imitatione, vel in imita-
tione. ¶ Fol. 137. afrō: e, linea 7. modulatur, lege moderatur. ¶ Fol. 138
atergo, lin. 1. prebuerit, lege prebuerint. ¶ Fol. 140. afronte, lin. 4. ani-
mum illius, lege animos illorum. ¶ Fol. 146. afronte, linea 16. didicerit,
lege didicerint. ¶ Fol. 147. afronte, linea 12. candoris, lege candori.
¶ Fol. 148. afronte, linea 9. initio, lege inito. ¶ Fol. 149. atergo, lin. 27.
qui si, lege quæ si fuissent. ¶ Fol. 151. afronte, lin. 1. esse, lege esset. ¶ Fol.
158. afronte, linea 9. contemnit, scribe contemnunt. & lin. 22. sequere-
tur, lege sequeretur. & atergo, lin. 9. conuellij, lege conuellit. ¶ Fol. 163
atergo, linea 24. quod omnem, lege quod omen. ¶ Fol. 167. afrōte, lin.
7. sapientia, lege sapientiam. & atergo, lin. 18. ad quem, lege ad quam.
¶ Fol. 168. in fronte, lin. 14. plnrium, lege plurimum. & atergo linea
26. hominis scribe homines. ¶ Fol. 170. afronte, lin. 15. hac. lege hanc.
linea 16. hominem, lege hominum. ¶ Fol. 172. atergo, linea 9. in eo, scri-
be in ea. ¶ Fol. 175. afronte, linea 8. reliquis, lege reliquos. ¶ Fol. 177.
atergo, linea 17. fragrantissimus, lege fragrantissimis. ¶ Fol. 180. atergo
linea 26. morumq;, lege infirmorumque. ¶ Fol. 181. afronte, linea. 2.
ornet, lege ornat. ¶ Fol. 182. atergo, linea 13. infamiliaritate, lege infam-
iliaritatem. & ibid. immisero, lege immersero. ¶ Fol. 184. afronte, linea
3. fecerunt. Icge iecerunt. ¶ Fol. 185. afronte, linea 19. positæ sunt, lege
potitæ sunt. ¶ Fol. 188. afronte, linea. 7. sit, lege sis. ¶ Fol. 190. afronte,
linea 16. consilis, lege consilijs. & linea 19. sapinetia, lege sapientia. &
linea 26. partæ, lege parte. & linea 27. delitijs, lege delitijs. ¶ Fol. 193.
afronte, linea 1. amplissimè, lege amplissimæ. & atergo, linea 16. ita
nulla, lege ita ut nulla. ¶ Fol. 199. afrōte, linea 6. Romani, lege Romam.
¶ Fol. 201. afronte, linea 9. rationibus, lege nationibus. & atergo, linea
18. deuincire, scribe deuinciri. ¶ Fol. 202. afronte linea. 10. teguum,
lege regium. ¶ Fol. 203. atergo, linea 4. id opem, lege ad opem. ¶ Fol.
210. atergo, linea 3. atque spe sempiterna, lege atque spe de sempiterna
¶ Folio. 212. afronte, linea. 6. cum principem, lege eum principem.
¶ Fol. 214. afronte, linea 16. sic deum, lege sic vel deum. ¶ Fol. 221. ater-
go, linea 8. & cum, lege & eum. ¶ Fol. 226. afronte, linea. 5. mestia, lege
mestitia.

mestitia, linea 7, militibus, lege milites. ¶ Fol. 228. atergo, linea 21. ares, lege artes. linea 22. per se dignitatis, lege per se sine dignitatis. ¶ Fol. 229. afronte, linea 25. vtiliora, lege vtilior. & atergo, linea 2. sustentatur, lege sustentantur. ¶ Fol. 233. afronte, linea 2. videbant, lege videbunt. ¶ Fol. 237. afrōte, li. 4. cogitate, le. cogitare. & lin. 7. maximaq; premia, lege maximaq; premia persoluta sunt. ¶ Fol. 238. atergo, linea 13. debere, lege deberi. ¶ Fol. 239. afronte, linea 14. non in, lege alij. ¶ Fol. 242. atergo, linea 21. cum qui, lege eum qui. ¶ Fol. 241. afrōte, linea 5. temet lege timet. ¶ Fol. 243. afronte, linea 18. athenises, lege atheniēses. ¶ Fol. 245. afronte, linea 6. id obuiam, lege it obuiam. ¶ Fol. 246. afronte, linea 19. solum, lege socrum. ¶ Fol. 249. atergo, linea 17. vastate, lege vastatæ. ¶ Fol. 254. atergo, linea. 9. dedecoris, lege decoris. ¶ Fol. 256. atergo, linea 25. homines, lege hominis. ¶ Fol. 259. atergo, linea 23. debitam fidem & officium aut patriæ. scribendum. & non debitam fidem & officiū aut Regi aut patriæ. ¶ Fol. 263. afronte, linea 26. securitate, lege securitate. ¶ Fol. 270. atergo, linea 9. decernat, lege decernat. ¶ Fol. 273. afronte, linea 19. staturæ, lege statuere. ¶ Fol. 276. atergo, linea 17. famam, lege famem. ¶ Fol. 284. afronte, linea 26. difficile est inquietus. superfluit illud inquietus & ideo delendum. ¶ Fol. 290. atergo, linea 5. iucundus, le. iudicandus. ¶ Fol. 294. afronte, li. 7. diuini hominis, lege diuini numinis. eod. fol. atergo, linea 12. miro enim, lege miro etiam. linea 13. quotes, lege quoties.

F I N I S.

INSTITUTO DE HISTÓRIA DA EXPANSÃO E DO COLONIALISMO

Faculdade de Letras - Coimbra



Preg. da Guerra

5

320

CF
A
6
24